

DOMINICA PRIMA JULII.

OFFICIUM

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

DUPLEX 2 CLASSIS.

Ad Vesperas.

Ant. Quis est iste, qui venit
de Edom, tinctis vēstibus de Bos-
ra? iste formosus in stola sua.

Psalm. Dixit Dominus... cum
reliquis de Dominica, et loco últi-
mi: Laudáte Dóminum omnes
gentes...

Ant. Ego, qui loquor justi-
tiam, et propugnátor sum ad sal-
vandum.

Ant. Vestitus erat veste as-
pérsa Sanguine, et vocáatur no-
men ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est
indumentum tuum, et vestimenta
tua sicut calcantium in torculari?

Ant. Tórcular calcavi solus,
et de géntibus non est vir mecum.

Capitulum. *Hebr. 9.*

Fratres, Christus assistens Pón-
tifex futurorum bonorum, per ám-
plius et perféctius tabernáculum
non manufáctum, id est, non hu-
jus creationis, neque per sanguinem
hircorum, aut vitulorum, sed

per próprium Sanguinem introívit
semel in Sancta, æterna redemp-
tione inventa.

Hymnus.

Festivis résonent cōpita vō-
cibus,

Cives laetitiam frōntibus explicit,
Tædis flammiferis ordine pródeant
Instructi pueri, et senes.
Quem dura móriens Christus in
árboore,

Fudit multíplici vúlnere Sán-
guinem,

Nos facti mémores dum colí-
mus, decet,

Saltem fundere lacrymas.
Humano géneri pernícies grávis
Adámi véteris crímne contigit:
Adámi intégritas, et pietas novi
Vitam réddidit ómnibus.

Clamórem válidum Summus al-
æthere

Languéntis Génitisi Pater audiit
Placári pótius Sanguine débuit
Et nobis véniam dare.

Hoc quicunque stolam Sanguin
próliuit,

—2—

Abstérgit máculas, et róseum
decus,
Quo fiat símilis prótinus An-
geli,
Et Regi pláceat, capit.

A recto instabilis trámite póst-
modum

Se nullus retrahat! meta sed
última

Tangátur; tribuet nóbile prae-
mium,

Qui cursum Deus adjuvat.

Nobis propítius sis, Génitor po-
tens,

Ut quos Unigenæ Sánguine Filii
Emisti, et plácido Flámine ré-
creas,

Cœli ad cùlmina tránsferas.

Amen.

y. Redemísti nos, Dómine, in
Sánguine tuo.

¶. Et fecisti nos Deo nostro
regnum.

Ad Magnificat, Ant.

Accessistis ad Sion montem, et
civitatem Dei vivéntis, Jerúsalem
cœlestem, et Testamenti Novi
mediatorem Jesum, et Sánguinis
aspersiónem mélius loquentem
quam Abel.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui
Inigénitum Filium tuum mundi
Redemptórem constituisti, ac ejus
Sánguine placári voluisti: conce-
de quæsumus; salútis nostræ pré-

tium solémni cultu ita venerári,
atque præsentis vitæ malis ejus
virtute deféndi in terris, ut fructu
perpétuo lætémur in cœlis. Qui
tecum vivit... Et fit com. Dom.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum, Dei Filium, qui suo nos
redémit Sánguine, * Veníte, ado-
rémuſſus.

Psalmi. Veníte, exultémus...

Hymnus.

Ira justa Condítoris
Imbre aquárum víndice
Criminósum mersit orbem,
Noe in arca sóspite:
Mira tandem vis amórís
Lavit orbem Sánguine:
Tam salúbri terra felix
Irrigáta pluvia.

Ante spinis quæ scatébat,
Germinávit flósculos;
Inque néctaris sapórem
Transiére absynthia.
Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruenta belluárum
Désiit ferócia:
Mitis Agni, vulneráti
Hæc fuit victória.

O sciéntiae supérnæ
Altítudo impervia!
O suávitatis benígni
Prædicanda péctoris!
Servus erat morte dignus:
Rex luit penam óptimus.

—3—

Quando culpis provocámus

Ultiónem Júdicis,

Tunc loquéntis protegámur

Sánguinis præsentia;

Ingruéntium malórum

Tunc recédant ágmina.

Te redemptus laudet orbis

Grata servans múnera,

O salútis sempítérnæ

Dux, et auctor ínlyte,

Qui tenes beáta regna

Cum Parénte et Spíritu.

Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Postquam consummáti
sunt dies octo, ut circumcideré tur
Puer, vocatum est nomen ejus
Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt Gentes, * et pô-
puli meditati sunt inánia?

Astitérunt reges terræ et prin-
cipes convenérunt in unum * ad-
vérsum Dóminum, et advérsum
Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: *
et projiciámus á nobis jugum ip-
sórum.

Qui habitat in cœlis, irridébit
eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loqué tur ad eos in ira sua,
* et in furóre suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex
ab eo super Sion montem sanc-
tum ejus, * prædicans præceptum
ejus.

Dóminus dixit ad me: * Filius
meus es tu, ego hódiè génu te,

Póstula á me, et dabo tibi Gen-
tes hæreditátem tuam, * et posses-
sionem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et
tamquam vas figuli confringes
eos.

Et nunc, reges, intelligite: * eru-
dímini, qui judicáti terram.

Servite Dómino in timore: * et
exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam, ne-
quando irascátur Dóminus, * et
pereáti de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus,
* beáti omnes, qui confidunt in eo.

Ant. Postquam consummáti
sunt dies octo, ut circumcideré tur
Puer, vocatum est nomen ejus
Jesus.

Ant. Factus in agonía proli-
xius orábat; et factus est sudor
ejus sicut guttae Sánguinis decur-
réntis in terram.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt
qui tribulant me? * multi insúrgunt
adversum me.

Multi dicunt ánime meæ: * Non
est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor
meus es, * glória mea, et exáltans
caput meum.

Voce mea ad Dóminum clámá-
vi: * et exaudivit me de monte
sancto suo.

Ego dormivi, et soporátus sum
* et exurréxi, quia Dóminus sus-
cépit me.

Non timébo millia populi circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivisti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedictio tua.

Ant. Factus in agonía prolixius orábat; et factus est sudor ejus sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Ant. Judas, qui eum trádit, poenitentiā ductus, rétulit triginta argenteos, dicens: Pecávi tradens Sanguinem justum.

Psalmus 15.

Conserua me Dómine, quóniam sperávi in te. * Díxi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonorum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitatés eórum, * postea acceleravérunt.

Non congregábo conventicula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nómínium eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditatis meæ, et cálicis mei: * tu es, qui restítues hæreditatēm meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícā Dóminum, qui tríbuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpáreunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelíquies animam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiōnem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætitia cum vultu tuo: * delectatiōnes in dexterā tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum trádit, poenitentiā ductus, rétulit triginta argenteos, dicens: Pecávi tradens Sanguinem justum.

¶. Redemisti nos, Dómine.
¶. In Sanguine tuo.

De Epistola B. Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio I. Cap. 9.

Christus assistens Póntifex futurórum bonórum, per amplius et perfectius tabernáculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircórum, aut vitulórum, sed per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, æter-

nà redemptiōne inventā. Si enim sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspersus, inquinátos sanctificat ad emundatiōnem carnis: quantò magis Sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ideo Novi Testaménti mediátor est, ut, morte intercedente, in redemptiōne eárum prævaricatiōnum, quae erant sub prióri testaménto, repromissiōnem accípiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatēs.

¶. Jesus, ut sanctificáret per suum Sanguinem pópulum, extra portam passus est: * Excámus ígitur ad eum extra casta, impropérium ejus portántes.

¶. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccátum repugnantes. Exeámus ígitur....

Lectio II.

Ubi enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatōris. Testamentum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec prium quidem sine sanguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis á Móyse universo pópulo, accipiens sanguinem vitulórum et hircórum, cum aquâ, et lana coccinea, et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspersit, dicens: Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et omnia vasa ministérii sanguine similiter aspersit. Et ómnia penè in sanguine secundum legem mundántur: et sine sanguinis effusiōne non fit remissio.

¶. Móyses sumptum sanguinem respersit in pópulum: * Et ait: Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dominus vobiscum.

¶. Fide celebrábit Pascha, et sanguinis effusiōne, ne, qui vasabat primitiva, tángeret eos. Et ait....

Lectio III. Cap. 10.

Habéntes itaque, fratres, fiduciam in intróitu Sanctórum in Sanguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et Sacerdótem magnum, super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspersi corda á conscientia mala, et abluti corpus aquâ mundâ, teneámus spei nostræ confessiōnem indeclinabilem (fidélis enim est qui repromisit) et considerémus invicem in provocatiōnem charitatis, et bonórum óperum.

¶. Vos, qui aliquando erat

—6—

longé, facti estis propé in Sángui-
ne Christi: * Ipse enim est pax
nostra, qui fecit útraque unum.

¶. Compláciuit per eum recon-
ciliare ómnia in ipsum, pacificans
per Sanguinem crucis ejus, sive
quæ in terris, sive quæ in cœlis
sunt. Ipse enim... Glória Patri....
Ipse enim...

In secundo Nocturno.

Ant. Pilatus volens pôpulo sa-
tisfacere, trádedit illis Jesum fla-
gellis cæsum.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi
deérerit: * in loco páscaæ ibi me
collocávit.

Super aquam refectionis educá-
vit me: * animam meam convérserit.

Dedúxit me super sémitas jus-
titiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio
umbra mortis, non timébo mala: *
quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus, * ip-
sa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo men-
sam, * advérsus eos, qui tribulant
me.

Impinguásti in óleo caput
meum, * et calix meus inébrians
quám præclarus est!

El misericordia tua subsequétur
me * ómnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómi-
ni, * in longitúdinem diérum.

Ant. Pilatus volens pôpulo sa-
tisfacere, trádedit illis Jesum fla-
gellis cæsum.

Ant. Videns autem, quia nihil
proficeret, accéptâ aquâ, lavit ma-
nus coram pôpulo, dicens: Innocens
ego sum á Sanguine justi hujus.

Psalmus 29.

Exaltábo te Dómine, quóniam
suscepísti me: * nec delectasti
inimicos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamâvi ad
te, * et sanásti me.

Dómine, eduxisti ab inferno áni-
mam meam: * salvásti me á des-
cedéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus: *
et confitémini memóriae sanctitatis
ejus.

Quóniam ira in indignatione
ejus: * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fle-
tus: * et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia
mea: * Non movébor in aeternum.

Domine, in voluntáte tua, * præst-
itísti decori meo virtútem.

Avertísti faciem tuam á me, *
et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamâbo, * et ad
Deum meum deprecâbor.

Quæ utilitas in sanguine meo,
* dum descéndo in corruptionem?

Numquid confitébitur tibi pulvis,
* aut annuntiabit veritátem tuam?

Audivit Dominus, et misértus
est mei: * Dóminus factus est
adjútor meus.

—7—

Convertísti planctum meum in
gáudium mihi: * considerísti sac-
cum meum, et circumdedísti me
lætitia:

Ut cantet tibi glória mea, et non
compúngar: * Dómine, Deus meus,
in aeternum confítabor tibi.

Ant. Videns autem, quia nihil
proficeret, accéptâ aquâ, lavit ma-
nus coram pôpulo, dicens: Inno-
cens ego sum á Sanguine justi
hujus.

Ant. Et respóndens univérsus
pôpulus dixit: Sanguis ejus super
nos, et super filios nostros.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, oratiōnem meam
cum déprecor: * á timore inimici
éripe ánimam meam.

Protextisti me à convéntu ma-
lignántium: * à multitūdine ope-
rántium iniquitatem.

Quia exacuérunt ut gládium lin-
guas suas: * intenderunt arcum
rem amaram, ut sagittent in oc-
cúltis immaculátum.

Súbito sagitábunt eum, et non
timèbunt: * firmavérunt sibi ser-
mônem nequam.

Narravérunt ut absconderent
láqueos: * dixerunt: Quis vidébit
eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * de-
fecérunt scrutantes scrutinio.

Accédet homo ad cor altum: *
et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvolorum factæ sunt
plagæ eorum: * et infirmatæ sunt

contra eos linguae eorum.

Conturbáti sunt omnes qui vidé-
bant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei:
et facta ejus intellexérunt.

Lætabitur justus in Dómino et
sperábit in eo, * et laudabúntur
omnes recti corde.

Ant. Et respóndens univérsus
pôpulus dixit: Sanguis ejus super
nos, et super filios nostros.

¶. Emúndat nos ab omni pec-
cato.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Lectio IV.

Vultis Sanguinis Christi audire
virtutem? redeámus ad ejus exém-
plum, et priórem typum recordé-
mur, et pristinam scripturam nar-
rémus. In Agypto, nocte médiâ,
aegyptiis Deus plagam décimam
minabatur, ut eorum primogénita
deperirent, quia primogénitum
ejus pôpulum detinébant. Sed ne
amáta plebs iudeórum unà cum
illis periclitaretur, quia unus locus

continébat univérsos, remédiū
discretiōnis invéntum est. Proinde
exemplum mirabile, ut dicas in
veritáte virtutem. Ira divinæ in-
dignatiōnis sperabatur, et domo
singulas mórtifer circuibat. Quid
igitur Móyses? Occídite, inquit
agnum anniculum, et sanguine
ejusliníte jánuas. Quidais, Móyses

—8—

Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit! Valde, inquit: non eo quod sanguis est, sed quia Dominicus Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

¶. In timore incolatus vestri conversamini. * Scientes, quod non corruptilibus auro, vel argento redempti estis.

¶. Sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi. Scientes...

Lectio V.

Nam sicut regnantium statuae, quae sine causa sunt et sermone, nonnumquam ad se confugiensibus hominibus anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, sed quia retinent imaginem principalem; ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit, non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus pervidet, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum Sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrerbitur inimicus, si ipsam perspe-

xerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutari virtutem? Volo. Unde primum cucurrit inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum cruce processit, latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in cruce pendente, approximat miles, latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit et Sanguis: unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis, et aqua; sed, exiit aqua primum, et Sanguis: quia primum, baptimate diluimus, et postea mysterio dedicamus.

¶. Empti estis pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

¶. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate....

Lectio VI.

Latus miles aperte, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum clararum inveni, et fulgentes divitias me gratulator reperi. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis, et aqua. Nolo tam facile, auditor, traneas tanti secreta mystrii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum, et mysteriorum, aquam illam et Sanguinem demonstrare. Ex his enim

sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam; sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus et de ossibus ejus sumus; latus videlicet illud significans. Nam, sicut de illo latere Deus fecit foeminam procreari, sic et de suo latere Christus aquam nobis et Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

¶. Commendat charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

¶. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Quoniam.

Gloria Patri....Quoniam.

In tertio Nocturno.

Ant. Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo.

Psalmus 73.

¶. Ut quid, Deus, repulisti in finem: *

iratus est furor tuus super oves pascae tuae?

Memor esto congregacionis tuae, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae: * mons Sion, in quo habistasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt qui odierunt te, * in medio solemnitatis tuae. Posuerunt signa sua, signa: * et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum secubibus exciderunt januas ejus in idipsum: * in securi, et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequoad, Deus, improperabit inimicus: * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam, * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula, * operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.

=10=

Tu confregisti capita dracōnis: * dedisti eum escam pōpulis Aethiōpum.

Tu dirupisti fontes, et torrentes: * tu siccasti flūvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricātus es aurōram et solem.

Tu fecisti omnes términos terrae: * æstātem et ver tu plasmāsti ea.

Memor esto hujus, inimicus impropereavit Dómine: * et pōpulus insípiens incitāvit nomen tuum.

Ne tradas bēstiis ánimās confitēntes tibi, * et ánimās pauperum tuōrum ne oblīscāris in finem.

Réspice in testamētū tuūm: * quia replēti sunt, qui obscurati sunt térrae dómibus iniquitātum.

Ne avertātur hūmilis factus confūsus: * pauper et inops laudabunt nōmen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto impropereorum tuōrum, cōrūm quæ ab insipiēte sunt tota die.

Ne oblīscāris voces inimicōrum tuōrum: * superbia eōrum, qui te odérunt, ascēdit semper.

Ant. Exivit ergo Jesus portans corónam spīnam, et purpūreum vestimētū, et dicit eis: Ecce homo.

Ant. Et bájulans sibi crūcem, exivit in eum, qui dicitur

Calvāriæ, locum, ubi crucifixērunt eum.

Psalmus 87.

Dómine, Deus salūtis meæ: * in die clamāvi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orātio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia replēta est malis áнима mea: * et vita mea inferno appropinquāvit.

Aestimātus sum cum descendētibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutōrio, inter mórtuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchrīs, quorum non es memor ampliūs: * et ipsi de manu tua repūsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferiori: * in tenebrōsis, et in umbra mortis.

Super me confirmātus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos á me: * posuérunt me abominatiōnem sibi.

Trádītus sum, et non egrediēbar: * oculi mei languērunt præ inópia.

Clamāvi ad te, Dómine, tota die: * expāndi ad te manus meas.

Numquid mórtuis facies mirabilia: * aut médi ci suscitābunt, et confitebūntur tibi?

=11=

Numquid narrābit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: * et veritatem tuam in perditōne?

Numquid cognoscēntur in ténebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra obliyiōnis?

Et ego ad te, Dómine, clamāvi: * et manēt orātio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam á me?

Pauper sum ego, et in labōribus à juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transiérunt irā tuā: * et terrōres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti á me amīcum, et próximum, * et notos meos á miséria.

Ant. Et bájulans sibi crūcem, exivit in eum, qui dicitur Calvāriæ, locum, ubi crucifixērunt eum.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura; sed unus militum lānceā latus ejus apéruit, et continuo exivit Sanguis, et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultionum Dóminus: * Deus ultionum liberè egit.

Exaltare qui júdicas terram: * reddē retributiōnem superbis.

Usquequò peccatōres, Dómine: * usquequò peccatōres gloriabūtur:

Effabūntur, et loquéntur iniqūtātem: * loquéntur omnes, qui operāntur injustitiā?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: * et hæreditātem tuam vexavérunt.

Viduam, et ádvenam interfecérunt: * et pupillos occidérunt.

Et dixerunt: Non vidēbit Dóminus, * nec intellīget Deus Jacob.

Intelligite, insipiēntes in pōpulo: * et stulti, aliquando sāpite.

Qui plantāvit aurem, non audiet: * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet: * qui docet hōminem sciētiā?

Dóminus scit cogitationes hōminum, * quoniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudiēris, Dómine: et de lege tua docuéris eum.

Ut mítiges ei á diēbus malis: * donec fodiātur peccatóri, fōvea.

Quia non repellēt Dóminus plēbem suam: * et hæreditātem suam non derelīquet.

Quoadūsque justitia convertātur in iudiciū: * et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consūrget mihi advērsus

—12—

Lectio VII. Cap. 19.

malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjutor meus: * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolaciones tuae létificavérunt animam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, * qui fингis laborem in praecepto?

Captabant in animam justi: * et sanguinem innocéntem condemnabant.

Et factus est mihi Dominus in refugium: * et Deus meus in adiutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum: et in malitia eorum dispérdet eos: * dispérdet illos Dominus Deus noster.

Ant. Ut vidérunt eum jám mórtuum, non fregérunt ejus crura; sed unus mítitum láceam latus ejus apéruit, et contínuò exivit Sanguis, et aqua.

¶. Christus diléxit nos.

¶. Et lavit nos a peccatis nos tris in Sanguine suo.

Léctio sancti Evangeli secundum Joánnem.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acétum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spíritum. Et réliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120 in Joann.

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid alius, sed, apéruit: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sanguis in remissióne fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum præstat, et potum. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, quæ intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclésia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. ¶ Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis efflúxit. O mors, unde mórtui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

¶. Hic est, qui venit per a-

—13—

quam et Sanguinem, Jesus Christus. * Non in aqua solum, sed in aqua et Sanguine.

¶. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris. Non in aqua.

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviabant: sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt: sed redimere non potuerunt. ¶ Venit Redemptor, et dedit pretium: fudit Sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quæritis, quid émerit? Videte quid déderit, et invenietis quid émerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non supérbiant. Pro toto dedit quantum dedit.

¶. Prædestinavit nos Deus in adoptiōne filiorum per Jesum Christum; * In quo habemus redemptiōne per Sanguinem ejus.

¶. Remissiōne peccatorum secundum divitias gracie ejus, quæ superabundavit in nobis. In quo...

Gloria Patri... In quo...

IX. Lect. Hom. Dom.

Si transferendum est, observetur PP quibus indicatur distributio lectionum.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. Hi, qui amicti sunt * stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Psalm. Dominus regnabit... cum reliquis de Dom.

Ant. Hi sunt, qui venerunt* de tribulatiōne magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Ant. Ideo sunt * ante thronum Dei, et serviant ei die ac nocte.

Ant. Et ipsi vicérunt dracónem, propter Sanguinem Agni, et propter Testamētum Verbi sui.

Ant. Beati, qui lavant * stolas suas in Sanguine Agni.

Capitulum. Hebr. 9.

Fratres, Christus assístens Póntifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptiōne invēta.

Hymnus.

Salvete, Christi Vélnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus pérennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore, et bálsama,

=14=

Prétio lapillos índicos,
Mellis favos dulcédine.
Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus:
Non huc furor minántium
Umquám pénétrat hóstium.
Quot Jesus in Prætório
Flagélla nudus éxcepit!
Quot scissa pellis úndique
Stillat Cruóris gúttulas!
Frontem venustam, proh dolor!
Coróna pungit spinea:
Clavi retusa cùspide
Pedes, manúsque péforant.
Postquam sed ille tradidit,
Amans, volénsque, spíritum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxilit.
Ut pléna sit redémpcio,
Sub torculári stringitur,
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil réservat Sánguinis.
Venite quotquot críminum
Funésta labes ínficit:
In hoc salútis báneo,
Qui se lavat, mundábitur.
Summi ad Paréntis déxteram
Sedenti habenda est grátia,
Qui nos redemit Sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.

Amen.

¶. Justificáti in Sánguine Christi.
¶. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus.

Ant. Erit Sanguis Agni vo-
bis in signum, dicit Dóminus:

Et videbo Sánginem, et transíbo
vos, nec erit in vobis plaga dis-
perdens.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigénitum Filium tuum mundi Redemptórem constituisti, ac ejus Sánguine placári voluisti: concéde, quæsumus; salutis nostræ prétium solenni cultu ita venerari, atque præsentis vitæ malis ejus virtute deféndi in terris, ut fructu perpétuo lætémur in cœlis. Qui tecum vivit... Et fit com. Dom.

Ad Primam.

In ¶. brev. ¶. Qui tuo nos Sánguine redemisti.

Ad Tertiam.

Ant. Hi sunt...

Capit. Fratres... ut supra.

¶. brev. Redemisti, nos, Dómine, * In Sánguine tuo. Redemisti..

¶. Ex omni tribu, et lingua, et pópolo, et natióne. In Sánguine...

Gloria Patri... Redemisti...

¶. Sanguis Jesu Christi, Filii Dei.

¶. Emündat nos ab omni pec-
cátio.

Ad Sextam.

Ant. Ideo sunt...

Capitulum. *Hebr. 9.*

Si sanguis hircorum, et tau-

=15=

rórū, et cinis vútulae aspér-
sus iniquinátos sanctificat ad e-
mundationem carnis: quanto ma-
gis Sanguis Christi, qui per Spíri-
tum Sanctum semetípsum obtulit
immaculatum Deo, emundabit
consciéntiam nostram ab opéribus
mortuis, ad serviéndum Deo vi-
vénti?

¶. brev. Sanguis Jesu Christi,
Filii Dei * Emündat nos.
Sanguis...

¶. Ab omni peccáto. Emún-
dat nos. Gloria Patri... Sanguis.

¶. Christus diléxit nos.

¶. Et lavit nos in Sánguine suo.

Ad Nonam.

Ant. Beáti qui lavant.

Capitulum. *Hebr. 9.*

Accipiens Móyses sanguinem vi-
tulórum, et hírcorum cum aqua,
et lana coccinea, et hyssópo, ip-
sum quoque librum et omnem
pópolum aspersit, dicens: Hic
sanguis Testaménti, quod man-
dávit ad vos Deus.

¶. brev. Christus diléxit nos,
et lavit nos * In Sánguine suo.
Christus...

¶. Et fecit nos regnum, et
sacerdótes Deo, et Patri. In
Sánguine suo. Glória Patri....
Christus....

¶. Justificáti in Sánguine Christi.

¶. Salvi érimus ab ira per ipsum.

In II. Vesp. Antiph. Psalm. et Hymn., ut in I. Vesp.; sed loco ult. Psalm. dicat. Psalm. Lauda, Jerúsalem, Dominum...

¶. Te ergo, quæsumus, tuis fámulis súbveni.

¶. Quos pretioso Sánguine redemisti.

Ad Magnificat, Ant.

Habébitis autem hunc diem in monuméntum, et celebrábitis eum solénnem Dómino in generatióibus vestris cultu sempitérno.

Oratio ut supra.

and the following day

la, e' sempre così si' che
il tempo va, ma non
vado a dire che
non vado a dire che

and the resulting increase
in the number of species
of plants and animals
is called **biological diversity**.
Biodiversity includes
the variety of life forms
and the relationships
among them.

and trilling), but
well send along with our
difficulties in understanding the
song of ordinary man. The
silence will often speak louder than
the noise.

and the other two were in the same condition as the first. The last was a small, dark, irregularly shaped mass, which had been partially dissolved by the acid. The remaining portion of the sample was washed with water and dried.

Digitized by Google

C. apicalis *var. apicalis*

•iv menitrope regulae asinopei
•mali qui erat in 10' mirabil
•q' operari loquicore non te
•nendo lo mirabil approp illa
•cili transib' sepiusq' infundeb
•near long' illoq' etiam
•et q' s' lo nati

